





16

ORDINIS MEDICORVM

IN

ACADEMIA VITEBERGENSA

H. T.

DECANVS

CHRISTIANVS FRIDERICVS

NÜRNBERGERVS

1784
26

MEDICINAE DOCTOR ANATOM. ATQVE BOTANICES PROF.
PVBL. ORD. ITEMQVE MVSEI ANATOM. ET NATVR.
CVRIOSOR. INSPECTOR

PANEGYRIN MEDICAM

D. IX. A. CALEND. MAII CIOIOCCCLXXXIV
HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA PROLVSIONE

DE

CHIRVURGIA RECENTIORVM ABSOLVTAM VVLNERVM
LETHALITATEM CAPITIS PRAECIPVE
NON INFRINGENTE.

1784



ORDINIS MEDICORVM

ACADEMIA VITENBENSIS

DECAVS

CHRISTIANVS FRIDERICVS

NVRNBERGERVS

PHYSICVS ET ANATOMVS
MEDICINAE DOCTOR APTVS ATQVE POTANTIS
ETIAMS ORDINIS VITENBENSIS ET NATVRAE
HISTORIAE PROFESSOR

PANEGYRICVS

D. IX. A. CALEND. MAII. MDCCCLXXII.

BLAEMISSA THEATRON

CHIRURGIA REPERTORIUM ABBATIS M. THOMAE
ETHALMATHI CAMPVS TRACTVS
NON INVENIENS





Quamquam illi robur et aes triplex circa pectus fuisse putandum est, qui fragilem committens truci lacerantique laminae Hippocraticae corporis vitam, siue dedit, siue accepit consulto primus animo vulnera, cum CELSO tamen affirmandum est, illius medicinae, quae manu morbos curat, maiorem omnino esse praestantiam, *quod eius sit effectus inter omnes medicinae partes evidentissimus*. Propterea quoque non solum antiquissima illa est, verum etiam ab omni aetate magnopere aestimata, neque minus diligenter atque strenue semper exulta. Huius equidem rei testimonium sane egregium, idemque luculentissimum vel ipsa senescentis huius saeculi Chirurgia exhibet, quippe quae optimis vtilissimisque inuentis, felicissime detectis, egregie omnino superbit. Hac enim laudabili opera, quam in exercenda ea sic posuerunt hodiernae Chirurgiae cultores, tanta profecto vel omnis scientia salutaris, vel ipsa haec ars fecit incrementa, vt a Veterum Chirurgia non modo immane quantum discrepet ea, sed etiam mirum quantum eandem antecellat. Quae scilicet no-
strae

a 2

a) L. VII. Praef.



frae prae alterius excellentia tam in praeceptis, quae ad theoriam pertinent, quam quae ipsum vsum respiciunt, manifesta est, siue meliorem et humaniorem modum, quo plurimae instituuntur operationes, siue simpliciorem et compendiosiorum deligandi formam, siue denique pauciorum magisque conuenientium instrumentorum apparatus spectes. Facta nempe vtriusque inter se comparatione hoc facile pluribus posset confirmari exemplis; ad vnicam vero tantum doctrinam *de capitis vulneribus* iam prouocasse sufficiat, quae idem aperte testatur. Quamuis enim nec laesae partis dignitatem, nec illatarum laesionum grauitatem, nec sub quibus se solent manifestare signis, nec in qua cardo totius saepe medicationis versatur, capitis puta perforationem non ignorarent prisci aevi medici, pluribus tamen vel obscuritatibus vel difficultatibus ipsa premebatur tunc harum affectionum diagnosis, adeoque manca erat et incerta, crassaque caligine obfuscata haec omnis doctrina. Hinc etiam factum est, vt capitis ipsa perforatio, siue sic dicta trepanatio postea multum negligeretur, vel, qui talem suscipere forte auderet, immanis esse, omnemque humanitatis sensum exuisse, opinaretur, vtque tunc generosa haec medicina, tanquam horrida scilicet, male spreta, nec nisi nomiae tantum cognosceretur. Ex quo vero his nostris temporibus extitere *Celeberrimi Viri*, POTTIVS, SCHMUCKERVS, CALLISEN et alii, et huic pristinus honor restitutus est, et aliae medicationes obsoletae redintegratae et correctae, neque minus quaedam etiam nouae instructae sunt. Horum nempe meritissimorum virorum opera et studio, factisque obseruationibus et experimentis satis superque constitit, vanum esse atque superfluum timorem, cur tanquam horrida aut valde periculosa medicina adeo vehementer metuatur Trepanatio. Vtut enim iustus seligatur locus, vbi debet institui operatio, et cauta prudentique manu fiat, parum inde certe,

ac ne vix quidem dicam extimescenda est, quae multum alias negotii facescit, haemorrhagia, nec aliud quicquam adferre poterit noxae. Dolores vero, quos forte posset creare, si ab illis recesseris, qui, dum galea tendinea cum pericranio discinditur, et ab osse radendo solet separari, forte oboriuntur, aut nulli fere sunt, aut minores saltem illis, quos proferunt causae, quae operationis ipsius necessitatem imposuerant. Quod si porro ad utilitatem, quam praestat, animus advertatur, fatendum omnino est, esse illam unicam, praesentissimum, et efficacissimum remedium, quo, quicquid sub caluaria male reclusum est, et cerebrum, nobilissimum omnium viscus, aut vehementer irritat, aut quacunque ratione importune comprimit, feliciter possit euocari, adeoque sic certissimum mortis periculum auerruncari. Etenim inter omnes constat, thecam illam osseam, quae sub se comprehendit cerebrum, adeo firmiter esse clausam, ut neque ab extra, neque ab intus aditus exitus pateat, nec posse, quod in caeteris interdum accidere solet cavitatibus, nisi forte rarissime, et tantum in hominibus aetate admodum iunioribus, materiam contentam clam rodendo et ossa exedendo, sponte sibi viam aut effluxum parare. Trepanationis denique praestantia per Chirurgiae recentiorum experientiam adeo comprobatur, ut vel probabiliter potius constet, plures forte ex male ommissa tali operatione propterea non fuisse seruatos. Tantum autem abest, ut, si quando speratus euentus parum successerit, hoc immerenti remedio possit vitio verti, quodque fuerit irritum, ipsi fieri opprobrio, ut infelicis effectus culpa in id potius coniciatur, quod plus iusto tardius, quam par erat ad tam heroici remedii genus sit descensum.

Alterum quod Chirurgia recentiorum ex obsoleto praeae antiquitatis angulo in magnum sane laesionum capitis solatium nouam quasi in lucem protraxit, fomentationes nempe



sunt, quae ex aqua frigidissima conficiuntur, quarumque salubris effectus addito partim accro, partim Nitri, et Ammoniaci crudi sale, magis augetur. Ac licet forte huius medicaminis utilitatem et praestantiam in eiusmodi capitis laesionibus omnes vno ore concedant, quae in externis modo partibus subsistere, non tamen dubito fore plerosque, qui, posse eandem efficaciam ad interiora quoque penetrare, rebusque sub caluaria afflictis mederi, negent atque pernegent. Vt vero taceam, quae circa haec a *Clarissimo* SCHMUCKERO non sublesta profecto fidei obseruationes atque experientiae allatae sunt, monendum adhuc mihi hoc est, constare scilicet, externum quod caluariam cingit periosium beneficio plurimum inde productorum vasorum, et per caluariam ipsam demissorum, cum dura matre subiecta adeo firmiter cohaerere, vt non solum pro vera eius continuatione, verum etiam pro interno quasi periosio haberi idem possit. Quid, quod in Semiologia chirurgica a facta per Capiti inflictam qualemcunque iniuriam Periosii huius externi ab osse separatione, ad talem interne quoque ortam seiunctionem probabilis valeat consequentia. Quae cum ita sint, externe applicati remedii potentiam, cuiusmodi sunt illae fomentationes frigidae, in menyngibus aut cerebro ipso se posse exserere et manifestare, nec impossibile, nec incredibile videtur. Ponamus autem, per illatam cerebro vehementiorem commotionem et concussionem, siue cum plaga externa et euidente, siue etiam absque illa contingat, aut menyngum aut encephali vasis partim insignem iniustam debilitatem, partim factam esse sanguinis et humorum congestionem et stagnationem, partim etiam eorundem effusionem, qualis vt plurimum est talium commotionum effectus, qui quaevis aliter euenire poterit, quin molestae compressiones, cephalalgiae, vertigines, sensuum obnubilationes, aut febre forte accedente, in pus conuersiones subsequaturae sint? Quibus

bus molestiis ac damnis omnibus feliciter dissoluendis atque discutendis, adeoque metuendis inde malis omnibus proficiendis parem hanc esse medicinam, nemo poterit ire inficiās.

Adiungamus his reliquas etiam medendi rationes, venae-sectiones puta largas reuulsorias, bis terque quaterque institutas, aut cucurbitularum siccarum, cauteriorum et vesicatoriorum usum, aut enemata acria, valide stimulantia, aut medicamina expurgantia antiphlogistica, saepeque repetita, aut, si quando his omnibus parum vel nihil proficiatur, alcalina volatilia, vel ipsa opiata diaphoreticis nupta, quas in Capitulis laesionibus commendare, et multis extollere laudibus atque encomiis solent Chirurghi recentiores. Atque si fatendum quod res est, his omnino praedictis medicationibus feliciter potest effici, ut pro diuersa rerum conditione aut sanguis humoresue vasis encephali tunc deiectis impacti potenter dissoluantur, aut si extra alueum suum illi male effusi sunt, ita iterum resorbeantur, et in orbem reducantur.

Iam vero, cum tam eximia virtute polleat omnino hodierni saeculi Chirurgia, adeo periculosa damna reparandi, quaestio merito mouetur, annon ita vulnerum, ad absolute lethalia olim relatorum numerus, de quibus in foro saepe litigatur, possit valdopere imminui? Quemadmodum enim in genere lethalia vulnera ea esse putantur, quae liquidi vitalis siue sanguinis in orbem circumductionem, adeoque animae cum corpore copulam praescindunt, siue propria huius principis in oeconomia animali motus organa, siue ea laedendo, quae ipsi remote necessario famulantur; ita quoque sunt, qui ad absolutam vulnerum lethalitatem definiendam sequentes requiri characteres statuunt; ut praegressam laesionem citius tardiusue fatum ineuitabile necessario consequatur, nullamque prorsus vulnus inde natum agnoscat medelam. Quod si vero vnicum saltem profert exemplum, tale, de quo sermo est, vnicum fuisse



fuisse curatum, e classe vulnerum absolute lethalium confessio proferendum esse, vtut caeterum grauissimum sit idem periculosissimumque, iidem praecipunt.^{b)} Atque idem de damnis, quibus capita hominum saepe violenter maclantur, valere debere, quilibet facile perspiciet. At enim vero posse haec, si obiter modo considerentur, rebus scilicet grauibz aliis, quae forte circumstare queunt, male neglectis, aut superuissis, facile in erroneam deducere opinionem, inprimis si ea iisdem immisceas, quae supra de Chirurgiae recentiorum praestantia disseruimus, exemplo mox prolaturu confirmabitur.

Licet cerebellum prae cerebro maxime delicatam partem esse omnes vno ore concedant, cum vitalibus illud functionibus praecipue praesidere constet, nihilo tamen secius vulnera eius, quae in occipitis regione occurrunt, et superficialia sunt, ex absolute lethalium classe eximenda esse, simul contendunt. Idque non solum ideo, quoniam curatum esse quendam relatum legimus,^{c)} cui non minima occipitis pars cum notabili corticis cerebelli portione ense ablata fuerat, verum etiam quod ex hodiernae Chirurgiae praecipuis constet, tuto posse, et sine vlla noxa, si opus est, occipitis os modiolu perforari, ab vno modo alteroque loco si discesseris. Caue tamen idcirco hasce plagas, quae neque externas notas habent, neque cum iactura substantiae factae sunt, neque quidem penetrarunt, tanto magis omnino sanabiles esse, et absolutae lethalitatis suspicionem prorsus carere, opineris. Quemadmodum enim tales sunt ex earum laesionum classe, quae vel vehementem cerebri commotionem efficiant, in quibus anguis vt plurimum in herba latet, nec quae strages forte intus facta est, per signa manifestetur,

^{b)} Vid. ESCHENBACH *Medicina legalis* Cap. III. §. 46.

^{c)} Vid. FLATNERI *Institutiones Chirurgiae* §. 547. schol.

festetur, ita circa earum lethalitys diagnosis maxima profecto cautela et circumspectione opus est. In eiusmodi ergo laesionum perferuatione, ad violentiae gradum, quocumq; inflata plaga fuerat, quam maxime respicere oportet. Vtut vero concedere debeamus, quod in prouerbio dicitur, *vnhera nimirum non dari ad mensuram*, tamen et hic omnino effectus de sua causa testabitur. Age itaque, quo pacto possint ea omnia referri, quidque in absoluta eiusmodi vulnerum lethalityte definienda agendum attendendumque sit, paucis adhuc expediemus.

Primo quidem, vt de absoluta illatarum talium laesionum lethalityte rite possis iudicare, ad symptomata, quae aut commitari illas, aut subsequi solent, eorumque grauitatem quam maxime respiciendum est. Eo nempe referas vertigines vehementiores, animi deliquia grauiora, sensuum motuumque voluntarium plenarias abolutiones, aspectum toruum, vrinac faecurumque aluiarum inuoluntarias aequae atque insensiles profusiones, vomitus etiam spontaneos, neque minus ex oculis, auribus naribusue vltroneas cruoris ipsius effluxiones, et quae sunt huius farinae alia. Et quemadmodum vertiginem stuporemue siue sponte euanescentem, siue per adhibita remedia profligatum a cerebri tantum facta commotione proficisci, reliqua autem recensita symptomata, posthaec demum sese manifestantia, iam ipsam esse natam in cerebro haemorrhagiam probabiliter indicare^{d)} contendunt; ita post acceptam modo plagam aut semel atque simul oborta illa omnia, aut citissime subitoque se inuicem excipientia, neque tarde, nulloque fere temporis et interuallorum discrimine interiecto apparentia, ab-

d) Vid. Perciuall *rott* *Abhandlung von den Hauptwunden. Abschn. VI.*
id. *LESNE* *Supplement an Traité des Maladies chirurgicales de Mr. Petit.* p. 98.



solutae lethalitatis suspicionem maximopere augent. Neque minus etiam absolutae lethalitatis notam hanc esse iudicamus, quando vel ipsa mors adeo praecipitat, vt ne quidem antea symptomata aut signa quaedam morbosa potuerint illustrari; quamuis parum premamus pollicem illis, qui dierum quoque criticorum in medicina forensi rationem habendam esse, statuunt. Constat enim inter omnes, vt iusta possit adhiberi contra tales capitis laesiones medicina, praecedentibus ac certis opus esse indicantibus, neque omnino perinde esse, an promiscue vsurpentur, quae supra propositae sunt medicationes, inter quas adeo magnum intercedit discrimen. His ergo praesignificantibus indiciis deficientibus, qui quaeso poterit constitui, qualis, aut vbi forte locorum administranda sit medicina, nisi quis inconsulto velit, aut nimis tumultuarie, ne dicam temerario nubem pro Iunone amplecti? Quodsi denique praeter has modo enumeratas notas facta post mortem vulnerati cadaueris sectione ingens cruoris effusi aliorumue humorum extrauasatorum vis cerebrum cerebellumue inundans deprehendatur, nonne maiorem tunc inibi per illatam violentiam stragem fuisse factam probabiliter coniecturaberis, quam quae potuerit vnquam reparari, neque adeo mors ineuitabilis, adhibita licet exquisitissima Panacea, auerruncari. Ex omnibus enim quas Chirurgia recentiorum contra capitis laesiones adeo diligenter commendat medicationibus, qualem quaeso ita omnino efficacem putares, quae vulneribus modo descriptis cito tuto atque vere mederi valeat? An heroicam illam maximeque generosam medicinam, capitis puta ipsius terebrationem? Equis vero talem inconsulto suscipi posse audeat profiteri, absentibus omnibus quae vel ipsam antea, vel vbi forte locorum instituenda sit, indicare debeant symptomatibus?
Nam-

e) ESCHENBACH. I. c. §. 63. Schol.

Namque secundum saniora salutaris artis praecepta cauendum potius est, ne in sanando nimis audaces vel potius temerarii ipsimet iugulasse videantur, quos seruare non poterant Medici, rebusque ita se habentibus tunc omnino *melius est finire mori, quam occidere*. An gelidae illae fomentationes, aut supra descripta methodus valide reuulsoria ea gaudebunt praestantia tam grauitur vulneratos ex ipsis Orci faucibus reuocandi? Quamuis nimirum vtrique remediorum generi stagnantem effusumque sanguinem, ex quo omnia illa pericula proprie metuenda sunt, resoluendi, resorbendi, et communi humorum alueo refundendi magnam inesse potentiam supra concesserimus, tamen valdopere dubitamus, quin possit iisdem praecaveri, quo minus summus inflictae violentiae gradus grauissima habeat concomitantia symptomata, non pedetentim paulatimque procedentia, sed semel, atque confestim se inuicem excipientia, aut quae cito secuta mors est, parum ideo potuerit praecipitari, omninoque euitari. Tantum denique valere hanc medicinam, vt enormis et ingens humorum effusorum vis, quae post mortem ipsa Cerebrum Cerebellumue totum quasi inundans reperta est, a canalibus adeo vehementer collisis vniquam potuerit refugi atque recipi, iure meritoque licet ambigere. Quae cum ita sint, facile quisque poterit cognoscere et iudicare, quanta opus sit circa vulnerum absolute lethalium in foro renunciationem prudentia atque circumspetione, ne, quae propter grauitatem talibus omnino accensenda sunt, inde eximantur, neque Chirurgiae recentioris potentia vltra modum exaggeretur.

Quam grauitur vero soleant et caesarum Patroni et medici forenses, recentioris Chirurgiae praestantia decepti delinquere, quando super hac causa ferendum est ipsis iudicium, nuperime sumus ex Actis ab Illustri Iureconsultorum Ordine nobiscum communicatis, experti. En ipsam historiam! Vir
 b 2
 quidam



quidam admodum validus atque robustus aliorum intercurrens rixis, et fuste vehementer caesus in Occipitis regione, illico concidit, satisque diu in terram prostratus absque ullo sensu ac motu iacet. Ille vero, multum facta eius hinc illinc conuersione, et cum aqua frigida conuersione, tandem expergefactus, nec, quid sibi acciderit reminiscens, domum abit: Ibi coenae quidem assidet, nec quicquam tamen comedens, neque proferens, tristis potius, et aspectu toruo. Propter vehementem capitis dolorem mox cubitum it, neque multo post, septem circiter horis, ab accepta scilicet plaga si computaueris eas, absolutis, moritur. Inluta cadaveris huius sectione sub occipitio et menyngum vasa multo sanguine turgida, et magna cruoris effusi vis cerebello incumbens, reperta sunt. Ex eo vero, quod neque capitis perforatio, neque reliquae supra celebratae medicationes sint tentatae, quamuis laesus aliquantulum post inflictam violentiam adhuc vixerit, idemque ad se iterum redierit, hoc tantum pro vulnere per accidens lethali reputandum esse, tam rei defensor, quam interueniens Medicus alius iudicauerant. Quibus omnibus praetextis exceptionibus opposita sunt ab Ordine nostro argumenta grauiora, quibus apparuit, medicationes adeo ab hodiernis Chirurgis in capitis laesionibus decantatas neque potuisse spondere vitam atque salutem defuncti, neque quidem in auxilium vocari, idemque vulnus, quo ita male periit infelix iste homo, pro absolute lethali omnino renunciatum est.

His praemissis progrediendum nunc est ad commendationem

VIRI

VIRI

PRÆNOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI,
GOTTLOB CHRISTIANI FRANCKE
 WITTEBERGENSIS

qui, quemadmodum e stirpe ortus est et Celeberrimo Patre, et Praeclarissimis Illustribusque cognatis multum nobili, ita omnem Ipse nauavit operam, ut suis quoque tam virtutibus, quam doctrinis, laudabili diligentia partis, magis magisque illustraret. Age itaque, qualem Ille vel vitae vel studiorum suorum inierit rationem, iam Ipsum candidè enarrantem, audiamus:

Si amor ac bonitas magis, quam necessitas facit parentes; ego GOTTLOB CHRISTIANVS FRANCKE profecto habeo, quod singulari prorsus pietate venerer patrem Dei beneficio adhuc superstitem CHRISTIANVM GOTTFRIED FRANCKIVM, I. V. Doctorem et Patriae urbis Praetorem causarumque forensium Patronum. Matrem e gente BAVARIANA ortam, quae me die V. Octobr. ao. 1719 CCLIX Vitebergae in lucem edidit, annos quinque et quod excurrit, praematura mihi morte ereptam tanto magis doleo, quanto maiori cura, licet infirma valetudine saepius constitata me educavit, ita, ut virtutum huius pie matris memoriam sanctam nulla unquam obliterare possit obliuio. Hi optimi ergo parentes mei nunquam non curae habuere hoc, ut inde a primis meis incunabulis sanctissimae nostrae religionis praeceptis imbuerer, literarumque cognitione ornarer. Quo consilio tam domesticorum, quam publicorum, qui Lyceo Vitebergensi praesunt, doctorum institutioni me commiserunt. Anno vero 1722 CCLXXII ELECTORIS nostri



stri serenissimi indulgentia contigit mihi venia in illustrem, quae ad Moldam floret, scholam abeundi, ubi ex disciplina b. KREBSII, Praecellentissimi MÜCKII, HOFFMANNI, REICHARDI, RICHTERI et FLEISCHERI, Theologiae, linguae latinae, graecae et francogallicae, historiae tam sacrae quam profanae, philosophiae, matheos, poëseos cognitionem haud leuem comparare mihi potui. Horum igitur virorum omnium etsi tanta sunt de me merita, ut nullo vique tempore depraedicare desinam, tamen singulari MÜCKIUS praecellentissimus me fovit amore adeo, ut, ne dicam exornare, sed ne enarrare quidem omnia favoris eius indicia possim. Stadio vero scholastico ao. c. 1700. CCCLXXVII exatito in patriam civitatem reuersus ab Excellentissimo EBERTO, tunc temporis Academiae Rectore in numerum ciuium academicorum receptus, ab Excellentissimo HILLERO iuris naturae, Logices, Psychologiae praecepta, uberiorioremque atque elegantiorum linguae graecae et latinae cognitionem et disputandi scientiam percepi. Excellentissimo TITIO historiam naturalem et physicam experimentalem illustranti assedi: sicut ab Excellentissimo EBERTO mathefin puram edoctus sum. Excellentissimi quoque SCHROECKHII praelectionibus, quibus historiam literariam, imperii Romani, patriae adaeque diurna interpretabatur, interfui. Ab ore vero b. BODENI Plauti Comoedias et numismata antiqua explicantis pependi. Posthaec iam artis salutaris discendae cupidus duce b. TRILLERO varias huius scientiae partes priuatos inter parietes perlustravi et LANGGVTHIVS pater methodum medicinae discendae et praecepta Chirurgiae atque medicinae forenses mihi explicauit. Cui vero plus, quam Illustri BOEHMERO Magnifico h. t. Academiae Rectori debeam, noui praeceptorum meorum neminem. Ille enim non solum me semper singulari amplexus est amore, pruden-

prudentissimis saluberrimisque consiliis cunctationem meam
 rexit, sed et, per quinque fere annos Osteologiam,
 Physiologiam, Botanicen, materiam medicam, Pharmacia-
 m, Therapiam generalem et specialem, artem formulas
 concinnandi deque re medica disputandi tam publicos quam
 priuatos inter parietes accuratissime ut docendo et examinan-
 do tradidit, mihiq; aegrotantium lectos frequentandi fecit
 copiam. Grato quoque animo praedico experientissimi NÜR-
 RENBERGERI insignia de me merita, qui non solum priuatissi-
 mis in ledionibus per omnium fere medicarum disciplinarum ra-
 tiones praeceptor accuratissimus mihi extitit, sed etiam pu-
 blice Meadii monita enucleauit, et herniis medendi tradidit
 artem. Ex Experientissimi LANGGVTHII filii ore Chemiae
 et Anatomiae principia collegi. His eruditionis partibus im-
 butus sub initio anni 1732 CCLXXXII in examine sole-
 mni omnibus doctoris gradum appetentibus subeundo rationes
 studiorum ac profectuum reddidi, quo feliciter peracto Li-
 psiam delatus ab Excellentissimo ERNESTI ciuibus Acade-
 miae Lipsiensis adscriptus sum. Hic igitur Exper. GEHLE-
 RVM Anatomiam, Exper. KRAVSIVM Chirurgiam medi-
 cam, medicinam forensen, therapiam specialem, b. PLA-
 ZIVM therapiam generalem interpretantes audiui, ab Ex-
 perientiss. LEONHARDIO scientiam morbis mulierum et in-
 fantum medendi et formulas medicas scribendi accepi, et sub
 auspiciis Illustr. BOSII nosocomium Lipsiense frequentavi.
 Lipsia redux anno 1733 CCLXXXIII sub praesidio Clariss.
 HENRICI, Lycei Viteberg. Conrect. alteram eius de Ge-
 nio natalium praeside disputationem publice defendi.
 Hinc vero Berolinum profectus sum, ubi a WALTHERO
 Myologiam, Splanchnologiam et Physiologiam et artem ca-
 dauera secandi didici. Ex institutione Exp. PEINII Che-
 miae praecepta repetii. Sub Experientissimi VOITI auspi-
 cii



cius vero Operationes Chirurgis et Obstetricibus faciendas, exercui, et ab eodem artem fascias applicandi, luxationesque et fracturas ossium curandi facultatem acquisivi, sicuti ab eodem et Experientissimo SELLE Nosocomium Berolinense frequentandi copiam impetraui. Quod stadium academicum quo feliciter transigere possem, SERENISSIMVS PRINCEPS ELECTOR me et minori et maiori stipendio munificentissime ornauit, sicuti etiam proceres academiae Vitebergensis me Stipendio a maioribus meis fundato et Senatus Vitebergensis alio quodam liberalissime auxerunt.

Talibus ille noster instructus subsidiis non solum ante aliquot annos in Examine cum ipso instituto dignus omnino iudicatus est, qui in Medicinae Candidatorum numerum reciperetur, verum etiam summi, quos ab Ordine nostro modeste petiit, honores, iam sunt Ipsi decreti. Ante vero quam eodem consequatur, vltimum edet ac nouum diligentiae Suae Specimen. Quo Ille consilio non modo Dissertationem Inauguralem de damnis, ex quibusdam nimis obstetricum et nutricum laboribus, metuendis proprio Marte conscriptam, ad disputandum proposuit, sed eandem quoque contra doctissimorum Opponentium obiectiones sine Praeside, quod SERENISSIMI PRINCIPIS gratia ipsi concessum est, publice defendet. Constitutus est huic actui solenni dies IX. a Calend. Maii, ad quem praesentia Sua condecorandum, Rectorem Academiae Magnificum, Vniuersitatis Proceres, Bonarum litterarum fautores omnes ac singulos, Commilitones denique Generosissimos et Ornatissimos, omni qua par est obseruantia, inuitamus.

P. P. Dom. Qualimodogen. c1913 cclxxxiv.

V I T E B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

Wittenberg, Diss., 1783-85

ULB Halle

004 335 937



3

f
Sl.





16

ORDINIS MEDICORVM
IN
ACADEMIA VITEBERGENSI
H. T.
DECANVS
CHRISTIANVS FRIDERICVS
NÜRNBERGERVS

1784
26

MEDICINAE DOCTOR ANATOM. ATQVE BOTANICES PROF.
PVBL. ORD. ITEMQVE MVSEI ANATOM. ET NATVR.
CVRIOSOR. INSPECTOR

PANEGYRIN MEDICAM

D. IX. A. CALEND. MAII MDCCCLXXXIV
HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA PROLVSIONE

DE

CHIRVRGIA RECENTIORVM ABSOLVTAM VVLNERVM
LETHALITATEM CAPITIS PRAECIPVE
NON INFRINGENTE.

1784